





O. A. M. D. G.  
DISPUTATIO INAUGURALIS PHYSICO MEDICA,  
DE

**MACHINA  
MICROCOSMICA  
PER  
MOTUM ANIMATA,**

<sup>QVAM</sup>  
SUB PRIMO OMNIUM MOTUUM AUTHORE  
ET UNIVERSALI RERUM OMNIUM MOTORE,  
*CONSENSU ET AUTHORITYTE FACULTATIS  
MEDICÆ,*

IN PERANTIQUA UNIVERSITATE ERFURTENSI,  
**P R Æ S I D E**

**DN. JOANNE FRIDERICO  
DE PRE,**

PHILOSOPHIE ET MEDICINÆ DOCTORE, ANATOMIE, BOTA-  
NICES ET CHIRURGIE PROFESSORE PUBLICO, FACULTATIS MEDICÆ  
ASSESSORE ORDINARIO & p. t. DECANO,

**PRO LICENTIA**

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET GRADUM  
DOCTORALEM SOLENNI RITU CONSEQUENDI,  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTIT

**JOANNES VOGELMAN, MOGONUS,**

A. A. L. L. ET PHILOSOPHIE MAGISTER,  
MEDICINÆ BACCALAUREUS,

IN AUDITORIO SUPERIORI COLLEGII MAJORIS

HORIS CONSUETIS.

Die *Novembr. A M DCC XIX.*

---

ERFORDIÆ, Typis JOHANNIS HENRICI GROSCHII, Academiæ Typographi.






REVERENDISSIMO  
ET  
CELSISSIMO  
S. R. I. PRINCIPI  
AC  
DOMINO, DOMINO  
JOANNI PHILIPPO  
FRANCISCO,  
EPISCOPO - HERBIPOLENSI  
NEC NON  
FRANCIÆ ORIENTALIS DUCI, ECCLESIAE  
MOGUNTINÆ METROPOLITANÆ  
PRÆPOSITO,  
P R I N C I P I  
AC  
*Domino suo Clementissimo.*



REVERENDISIME  
ET  
CELSISSIME  
PRINCEPS,

DOMINE, DOMINE CLEMENTISIME,

loriosa non minus quam fecunda  
parens est Illustrissima familia S. R.  
I. Comitum de SCHOENBORN:  
Hæc, quos in sinu gessit, variis No-  
bilium exercitiis ita exornat, & sic ad ardua du-  
cit, ut temporis successu aliis è vitâ decedentibus  
in altioribus dignitatibus merito succedant, ut  
vel Vaticanâ involvantur purpurâ, in Metro-

A 2

po-



politans aliisque summis Ecclesiis exornentur tiaris, condecorentur mitris, vel militia Ducum cingantur balteis, vel aulicarum dignitatum distinguantur prerogativis. Sic REVERENDISSIME & CELSISSIME PRINCEPS Pileo Ducali simulque mitrâ Episcopali te insigniendum vidit & applausit Lata Franconia, quando in S. R. I. PRINCIPEM, EPISCOPUM HERBIPOLENSEM & FRANCIÆ ORIENTALIS DUCEM unâ voce uno applausu unâ gratulatione fueras electus. Sic debuit principale caput mitrari, sic virtus coronari. Electione factâ, ut quilibet devotionem suam palam faceret, erigebat arcus tanquam æternæ fame colossos, quibus appendebat carmina gratulatoria, lemmata & emblemata faustum regimen apprecatoria, pro ut quis devotus Clientis pro suo genio & ingenio in tanti Neo-Electi PRINCIPIS condignum encomium elaborabat: Hinc & ego prodiens è Machaoniâ Gymnade candidatus REVERENDISSIME & CELSISSIME PRINCEPS, dum tota Franconia in applausus est effusa, etiam ausus fui REVERENDISSIMÆ CELSITUDINI

NI



NI TUÆ de hâc Episcopali & Ducali dignitate devotissimo animo aggratulari, & sub tuo Clementissimo Patrocinio in arenam disputatoriam descendere, gentilitiis tuis pyramidibus innixus, sub quibus de motu disputans velut sacrum inter & saxum fortunatus steti ac immotus: Ac licet Adversarii scholastici contra me omnem Lapidem moverint, ut me à sententiâ meâ amoverent, omnes tamen eorum motus & conatus firmis pyramidibus tanquam lapidibus fundamentalibus communitus victoriam me reportasse confido: Me ad id agendum animabant Benignissimi CELSITUDINIS TUÆ favores, qui neutiquam patientur, ut ad gentilitias pyramides aut sanctissimum pedum pedem offenderim. Patere proin REVERENDISSIME & CELSISISME PRINCEPS pro tuâ innatâ & toti orbi notâ clementiâ, ut victoriam ex hâc arenâ deportatam unâ cum Thesibus hisce inauguralibus flexis genibus & devotione submississimâ his gentilitiis pyramidibus inter cætera affamulantium anathemata audeam affigere, & has studiorum academicorum primitias consecrare, idque in æternum



*grati animi mnemosynon, debitaque mentis ob-  
sequium ob innumeras gratias meis ab Illustris-  
simâ familiâ S. R. I. Comitum de SCHOEN-  
BORN, gratiosissimè collatas, quibuscum Ego  
felix regimen & Nestoris annos apprecor*

REVERENDISSIMÆ CELSITU-  
DINIS TUÆ

*Servorum Infimus*

JOANNES VOGELMAN,  
MOGONUS.

PRO.





## PROLOGUS.



Uper de temperamentis à me actum est, nunc de motu doctrina sequatur, cuius tanta necessitas, ut sine eo nulla pars corporis alteri debitoricem sit præstitura opem: oculus non videbit pedi, nec pes stabit manui, nec manus tanget ori, nec os edet stomacho, nec stomachus corpori digeret. Quid enim corpus humanum nobile illustri animæ hospitium sine motu aliud? quam currus sine rotâ, ignis sine flammâ, flamma sine luce, cælum sine stellis, stellæ sine radiis: tollas è corpore motum, illico vultus concidet, pallefcent genæ, marcebunt oculi, languebunt manus, pedes collabascant, obstupebunt sensus, congelabitur sanguis, lapidescent arteriæ, frigeant membra,



membra, tota corporis humani structura immobili trunco similis obrigescet: verbo corpus absque motu nil nisi putre cadaver erit. Econtra motus vitam conservat indemnem, elementa sanguinis intimè unit, humores in fluore conservat, eos arcet à putredine & corruptelâ, dum particulas conservat homogeneas, & separat heterogeneas; nam citò putrescunt, ni moveantur aquæ. De hoc motu in thesibus subsequeturis plura movebuntur.

THESIS I.

Corpus Machina est.

Corpus humanum divinæ sapientiæ monumentum, totius veluti creationis compendium, mirabilis variarum partium compages, artificiosa infinitorum filamentorum seu fibrillarum congeries, conflatum ex innumeris tubulis organon, plenum mysteriis automaton & prodigiosa machina est; hanc nobilem fabricam DEUS Summus Architectus & perfectissimus mechanicus è limo effinxit Damasceno, in hâc solidam ossium structuram tot nervis & fibris singulari symphyssi & mirâ diarrhosi conjunxit, tot articulorum nexibus & tendinibus ceu funiculis colligavit, tot organis & cribris distinxit, tot venosis & arteriosis sanguinis & liquidorum canalibus debitâ mixtione instruxit, tot vasculis & ligamentis ceu totidem spiris rotulisque miro nexu contexuit, tot ductibus lymphaticis

cis



cis irrigavit , tot musculorum tegumentis vestivit ; paucis quo ad interiorum viscerum subordinationem & perelegantem externarum partium configurationem divino prorsus artificio exornavit. Et ut prodigiosa hæc statua abiret in motus vitales , temperato fluidi subtilissimi & spirituosissimi motu animavit, dum vitalem auram cum rationis usu inspiravit. Machina hæc à liquoribus intus agitantibus & per organici corporis tubulos circumerrantibus unice movetur, si diversa hæc fluida regulari motu & requisita proportione per solidas partes fluant, refluantque , ordinati fiunt in corpore motus, omnesque actiones felicissime absolvuntur ; sed tolle hanc motus regularitatem vel per ipsos liquores motu erroneo exorbitantes, vel per structuram partium solidarum perturbatam , corpus irregulare fiet, illico machinæ animatæ forma peribit, organa turpiter languescent , certamque ruinam minabitur machina , quæ prius fuit elegantissima.

THESIS II.

Motus est Aristoteli actus entis in potentia pro ut in potentia ; clarius Neotericis transitus corporis ex loco in locum tanquam à termino à quo ad terminum ad quem. Aliis mutatio status corporum. Nobis vero præsertim in machinâ hæc microcosmicâ hæc definitio optimè quadrare videtur, quod motus sit totius molis liquidæ per suos ductus & canales translatio.

B

Mo.



Motum dari quinque sensibus velut certis testibus convincitur : videt oculus volatu tranantes per aëra cygnos, & motum credit; globos muris allisos percipit auris, & motum è tormentis bellicis violentum esse infert; amica odoriferarum rerum effluvia recipit odoratus, & ea per aërem motu undulatorio naribus advecta benè concludit; subter manus currentem per varios lusus sciurum observat attingens manus, & moventis se sciuri agilitatem deprehendit tactus; delicatas & opiparas lingua degustat dapes, & eas ori admotas & in ore masticatorio motu circumvolutas deglutit gustus. Contra veritatem hanc lucidissimam cæcutiebant Veteres quidam philosophi *Zeno* & *Diodorus*, *Melissus* & *Parmenides*, Hi communem contra modum omnem negabant motum, quos ut corrigeret *Diogenes*, Cynicus hic Philosophus ex porticu surgens hinc indè ambulabat, & dum, quid sic de subito ageret? quæsitus respondebat: hoc meo motu rationes Zenonis confuto.

THES. III.

In omni motu sequentia observabis: aliquid movens & mobile, terminum à quo & ad quem, & medium seu spatium, per quod motus procedat.

Hæc essentialia sunt omnis motionis requisita: nonne cibos, qui in se sunt mobiles atque volubiles, lingua movet à buccâ ad buccam per mediam oris cavitatem? nonne cibos masticatos & salivâ alteratos

tos



tos faucium musculi laryngo-pharyngæi ex ore demittunt per medium œsophagum in ventriculi cavitatem? ex quâ cibos in chymum dispositos amovet pylorus, & dispergit per distractos in abdomine intestinorum tubos, in quibus laudabilior chyli portio motu peristaltico abit in intestina, ex his transcolatur in venas lacteas, inde ascendit ductum thoracicum, hunc deferens elabatur in venam axillarem, ex venis demum in cordis thalamum primariam sanguinis officinam labitur, ubi a sanguine absorbetur; nec ibi tuta quies, sed chylosa portio immixta purpureo latici, qui velut mobile perpetuum, connexa per organa motum continuat, quamdiu vitalis spiritus intus agit; Sic chylus cum sanguine semper in itinere, nunquam domi. Nequè particulis ciborum excrementitiis ultra diem sordidum hospitium sed hoc tamen hospite dignum concedunt intestina. Sed quamprimum fieri licet per legem hospitii, ad varia machinæ secernicula motu se-& excretorio foras eji-  
ciunt.

THES. IV.

Movens primarius & universalis corporum omnium motor Deus est, uti ens entium est, qui unus & immobilis est, qui incorporeus, perpetuus & infinitæ virtutis est.

Quidquid movetur ab alio movetur, lex statica est; nullum à se ipso movetur, fundamentum hydraulico-pnevmaticum est. Deficiente movente de-



ficit omnis motus : sufflamina molis aquas, molen-  
dinis pnevmaticis inhihentos, horologio tolle ro-  
tas, trochleis incide funes, & pondera deme, nec  
mola farinam dabit, nec horologium horam indica-  
bit, nec trochlea moles elevabit, mola vento trusa-  
tilis absquẽ aurã quiescet. Hęc uti omnia non vi-  
ventia principium suę motionis extrinsecum tantum  
habent aquam & ætherem machinarum harum ani-  
mas, quę licet respectu harum motionum sint prin-  
cipia activa, respectu tamen Dei primi motoris pas-  
siva & subordinata sunt motuum principia. Primus  
& unus motor Deus est, hic lucidos cœlorum circ-  
ulos in perennem motum contorquet, & non fatiga-  
tur; hic longissima Solis Lunęque itinera dirigit, &  
non lassatur; hic illustrem stellarum senatum solis-  
que proceres planetas architectonicis divinę manũs  
prodigia in gyros volvit, & non gravatur; hic mi-  
rabiles maris fluxus & refluxus agit, verbo, solo  
mouet omnia nutu, & non inquietatur. Deus pri-  
mus & unicus corporum motor est, mutuo tamen  
corporum concursu & conflictu, in quibus motũ cau-  
sa secunda latet, uti voluit, ut effectus secundum mo-  
tũs leges æterno liberę voluntatis decreto sancitas  
produceret.

QVÆSTIO inappertinens.

*Utrum Deus etiam sit promotor, uti est omnium  
rerum motor? an potius à cecã fortunã de-  
pendeat cuiusvis promotio?*

Quis-



Quisque suæ faber est fortunæ, commune adagium est; quisque sibi fabam coquit nigram vel albam, vulgare dicitur est; Sed sine numine nihil esse in homine facer canon est. quo proverbialia verba ruunt. Erras, quicumque putas, fortunam, quia cæca est, ad libitum tuum posse circumduci, pande vela fortunæ, nisi è cælis afflet favonius, non velificabis, sine cœlesti flamine nihil est in homine: Erras, qui à favore principum & prudentiâ tuâ pendere cuncta opinaris, principum favor instabilis est, & tua prudentia fallibilis est. Somniat, quisquis astutiam viresquæ suas everti non posse sibi persuadet: nostra non à nobis, sed ab aliis, & ante omnia à Deo ita disponente dependent; nec fortuna benigna est, nec noverca absque Dei voluntate. Mutationes non fortunæ non astris sed Deo adscribendæ: Condere enim cœli terræquæ fabricam, & hominis machinam, & curam ejusdem abjicere, esset suammet actionem improbare. Si tibi consulant, quotquot in orbe sunt, consilarii astutissimi, crede mihi, non est consilium contra dominum, Dei consilio initiantur, promoveantur & finiuntur omnia, quod semel decretum est & approbatum in curiâ cœlesti, nullis mortalium consiliis inverti potest. Ad fata adamantina quidam volant, homines adorant, spem omnem in fluxis & labilibus collocant; Quidam viribus suis fidunt, cuncta movent, ut se promoveri sperent; sed nihil agit, qui sine Deo omnia agit, quando ens entium non adest ad esse, quidquid est, cessat & melius esse: ne quid malè cedat Deus author accedat, nil benè succedit, ubi motor omnium non præcedit. Insanum est, fulcrum, quo cœlum & terra firmatur, sibi subtrahere; hoc tibi non subtrahetur, si tibi honesta agenti motor & adjutor Deus erit. Series & mutatio rerum ad providentiam divinam referenda sunt, quæ magnatum & Mæcenatum animos movet, ut te promoveant; Sit tibi licet curta supellex, conflicteris cum miseriâ, sit tibi una dies quan-

B ;

doquæ



doquè parens, quandoquè noverca ; benè noverit ille, cur te potius Codrum quam Cræsum, esse voluerit, ne fortè fortis prosperæ gustu ebrius lascivias, forsan magnam fortunam debilis tuus stomachus non sciet digere. Fide Deo, non fortunæ, hæc volubilis errat, nisi errare velis, non te committe erranti sed summo motori & tuæ fortunæ promotori, qui ordinabit, ut fortunæ rota, tristia, quæ tulerat, lata retorta vehat, & redeat post nubila Phœbus.

THESIS V.

Universalis omnium motor & prima causa motuum DEUS indidit rebus viventibus principium aliquod internum, quod motûs sit causa secunda, & nisi aliunde impediatur, à motore supremo conservatur.

Hoc primum impellens totius corporis à DEO principaliter viventibus impressum vel tonus & vigor, elater, nisus & tendentia dici potest, vel tenuissima materia ætherea expansiva elasticâ vi donata, quæ originaliter inest semini prolifico, & postea propagatur affluentibus spiritibus ; utrumque defendi potest. Determinatas motûs leges præscripsit animatis Altissimus, ut secundum ejus voluntatem certas & determinatas actiones patrarent, has leges semel implantatas Omnipotenti suo nutu & concursu simultaneo conservat, ut inchoatus semel motus usque ad præscriptum à Deo terminum continetur. Videmus automatariorum horologiorum fabros, subtilissimas horologiorum rotulas tali elatere fuliginosâ manu sed  
mi-



mirâ dexteritate instruere, ut per aliquos dies ad artificis mentem accuratè decurrant, horas designent, metamquè omnes rotæ properent ad unam. Et Deo summo omnium artifici abbreviavimus omnipotentiam? ne talem vim motricem creaturis indere possit, quæ ad certas à Deo præscriptas leges suos motus necessarios absolvat. Videmus stupendas variorum mechanicorum fabricas, in quibus subordinatæ rotularum trabium & vectium concatenationes: Videmus bombardas pnevmaticas, machinas hydraulicas, in quibus elaterum occultus agendi nisus, & ex statu violento eluctandi conatus, in quibus sphærulæ compressæ ceu toridem spiræ chalybeæ resiliunt, sub nisu hoc expansivo vis earum spirarum diminuitur; in his fabricis artificiosa chordarum funicularum & catenularum harmonia effectus præstat admiratione dignissimos: Videmus Leonis Imperatoris cantillantes aviculas, sibilantes serpentes Boëthii, Statuam Dodonæam orientis solis radiis suaviter arridentem, e contra occidentis pallorem horrifono ejulatu deplorantem: Videmus Archytæ volantem columbam ligneam, Milonis bucculam, ad cuius aspectum admugière tauri, Regiomontani muscam ferream volantem, & admiramur finitam & terminis circumscriptam rationem humanam harum machinarum architectonicam; quid non concedemus infinitæ Dei potentia? cur non posset hæc motum rebus inditum ad certum tempus conservare?

THE-



THESIS VI.

Ad omnium actionum exercitium influxus spirituum animalium necessarius est, hinc spiritus principiis activis motûs meritò sunt annumerandi.

Spiritus nobilis sanguinis filius, ex quo tanquam causâ materiali & ex sinu fœcundæ matris cerebro prodit in lucem totus lucidus, totus activus, totus elasticus; Spiritus hic dicitur *Hippocrati* impetum faciens, ita agilitate suâ motum imprimit fluidis; Spiritus hic Recentioribus audit fluidum nerveum, ita minutissimos nervorum tubulos maximè subtilis hujus fluidi materia transit, angusta viarum dilatat, ut motum pariat; Spiritus hic à *Renato Cartesio* inter prima & secunda sua elementa refertur, ita subtilitate suâ omnes in rebus impetus principiat, & commovet crassas materias; Alii hunc spiritum cum *Baptistâ Helmontio* Archeum baptizant, & ἀπὸ τῆς ἀρχῆς omnium actionum principium proclamant; Alii flammulam vitalem, animam materialem, calidum innatum, humidum radicale vocant, ut spiritûs nomen ex horto medico eradicent: Nobis mistis hisce logomachiis materiam subtilem & elasticam omnis sensûs motûsque causam recepto in scholâ medicâ nomine dicimus spiritus analogicè & comparative: Sic communi more loquendi declaramus vinum generosum & spirituosum, dum infusione factâ particulæ profiliunt volatiles, ad aëra tendunt, naresque titillant; Sic acidulas demonstramus



mus spirituosas, cum prius urceis incarceratae, dein extracto epistomio suae libertati donatae a concentratis intus spiritibus superas agitentur in auras; Sic Chymici Spiritus vocant alcohol liquidum sive liquores summe rectificatos, & reiteratis destillationibus ad talem volatilitatem elevatos, ut, nisi vasa probe muniantur, in auras exhalent. Et hi Spiritus medicè sumpti ad omnes corporis motus summe necessarii sunt; Salvo spirituum influxu omnes actiones salvæ sunt, hoc impedito vel penitus sublato motus vel tollitur, vel hebetatur. Sole cœlesti nubibus obvoluto, vel à Lunâ impedito eclipsis est, tenebræ sunt: spiritibus certæ corporis parti subtractis prompta paralysis est, sed toti corpori negatis necrosis est. Unam tolle rotam in horologio, nil machina signabit, stabit, & impos erit: motu spirituum extincto toti corpori funus indicitur, vita extinguitur. Nec dulce sonabit organon musicum, nisi per folles in fistulas illabitur aër, compages concinna licet adsit fistularum, licet manus epistomiorum manubria pulset; pari modo etsi muscoli concinnè fabricati sint, fibræ naturali tono dotatae sint, & nervi cavitate suâ instructi sint, non fiet animalis motus, nisi spiritus animales à cerebro velut ex folle pleno per nervos influant, fibras inflent, musculos roborent, & in actum deducant. Ast inferet osor spirituum: sic longus processus erit, si à vertice summo debeat institui talis defluxus in imum pedis articulum; Sed sciat spirituum hostis, spiritus non cum tardo Boote, neque cum claudicante Mercurio suum opus absolvere, nec rem motumque cunctando restituere: Spiritus

C

tus



tus fluidum maximè subtile sunt, hinc summè mobiles: spiritus lucidi sunt, lux solaris unico momento totum hæmisphærium illustrat, & spiritus in uno instanti nervos irradiant; Spiritus ignis humidus est, in fluido phosphorus est, qui citissimâ imo instantaneâ irradiatione partibus movendis suum influxum communicat, fibrasque motrices musculorum impellit. Spiritus nostri corporis summâ subtilitate, volatilitate & penetrabilitate instructi sunt, spiritu chymico etiam summe alcoholisato subtiliores sunt. Ecce spiritibus nostris instantaneum denegaremus influxum, quem spiritibus chymicorum ad Vulcani aras effumantibus concedimus? Spiritus salis Ammoniâci vel cornu cervi aliique liquores penetrantes seu urinosi volatiles seu acidi tales naribus admoti in momento ipsos cerebri sinus volatilitate suâ subeunt, incantamenti instar epilepticos juvant, & hystericas exsuscitant, & spiritus nostri spiritu quovis alcoholisato subtiliores non eundem præstarent effectum? præstat proinde concedere, omnem vim motricem à Deo rebus creatis communicatam ab influxu spirituum actuari, præstat aliis annuere, omne corpus naturale in se habere intrinsicè sui motûs principium, ut possit positus ad agendum requisitis se ipsam ab intrinsicè movere.

THESIS VII.

Mobile, seu quod motionem admittit, vel ad motum recipiendum aptum, est quodvis extensum, hoc est, corpus quodvis naturale quod



quod se passivè & subjectivè habet respectu  
moventis activi.

Mobili non satis est, sibi mobilitatem seu aptitudinem ad motum naturaliter annexam & in primâ creatione implantatam esse, ut enim actu moveatur, impetus à movente accedat necesse est. Actualis motus duo principia ad motum concurrentia requirit activum movens & mobile passivum; hâc tamen lege, ut movens superet mobile, si enim movens respectu mobilis inæquale vel levius quid sit, mobile fit fixum, & tale manebit. Sic calculus reni incuneatus, vel viis urinariis vehementius impactus immobilis est, & licet infelix Sisyphus, ut Saxum hoc volvat, omnem lapidem moveat, sudet & algeat, frustra est, labor irritus erit, nisi fortior cuneus cuneum pellat; ubi enim justa proportio movens inter & mobile deest, deerit etiam effectus tentatæ motionis; etsi autem hic actus calculum modo non moveat, calculus tamen potentiâ mobilis est, ab alio scilicet movente fortiori, cujus respectu adhuc manet mobilis. Mobili à movente necessarius impetus est communicandus. Massa sanguinis purpurea affluentibus denuò particulis motum sanguini imprimantibus felici tramite procedit, ubi autem novus harum particularum succursus defineret, vel in stasin vel obstructionem allideret (ut in pluribus affectibus solet accidere) sanguis motu reflexivo repercuteretur, fieretque ex motu naturali violentus & præternaturalis, eo quod mobile fortius debiliori moventi ita resisteret.

C 2

THE.



THESIS VIII.

Terminus à quo est principium, & terminus ad quem est finis motûs, medium vero illud spatium, quod res mota transire debet.

Iter facis Erfurto Lipsiam, Erfurtum terminus à quo, & Lipsia terminus ad quem erit, medium illæ viæ, quas te transire oportebit. Cor sanguinis centrum duplici respectu terminus à quo & ad quem est, ex illo enim purpureus latex egreditur, per tot artiarum & venarum canales tanquam per medias vias exspatiatur, & quando suum emensus iter est, ad eandem cordis officinam regreditur. Quantæ autem necessitatis sunt hi duo termini, tantæ etiam est medium ad motum ritè consummandum. Sine medijs nulla fit emptio nulla venditio, sine medio termino nulla fit conclusio, sine ventre hoc est medio musculi nulla fit extensio, sine copulâ nulla fit prædicatio, sine glutine inter duos asseres nulla fit unio: Sic sine medio termini à quo & ad quem nulla fit motio. Medium conditio sine quâ non est, si illud motui obstaculum objiceret, motus terminum ad quem seu finem intentum non assequeretur. Sic orbiculus fenestræ, in quo Propheta David depictus erat, non ex parte fuisset extrusus, nunquam cattus eum pervolâset, sed quia fractus erat, per medium David cattus cum pisce volavit.

THE-



THESIS IX.

Organa, quibus mediantibus omnis motus & actio absolvitur, sunt nervi fibræ & musculi.

Nervi & fibræ musculosæ omnium motuum palæstræ sunt, in hæc & per hæc ceu media & organa motus spiritus intus agit. Per nervos in musculos subtiliores seri & sanguinis particulæ in cerebro secretæ magisque subtilisatæ summâ agilitate se desenvolvunt, ut motus fiat. Unde nulla fit actio in œconomia animali, quæ his mediantibus non absolvitur. Nullus fit motus sine musculo & nervo instrumentaliter concurrentibus, nullus sensus sine nervo & membranâ, sed nervos musculosque prius animabit spirituum influxus. Motus animalis absolvitur, dum fibræ motrices, ex quibus constantur musculi, à liquidi nervei virtute elasticâ inflantur, musculi contrahuntur, deinde iterum relaxantur, & sic membra moventur; Sed fibræ continuâ lymphâ irrorari & à sanguine arterioso allui perpetuo debent.

THESIS X.

Certi motus, certæque actiones peraguntur in corpore humano sine concursu animæ.

Omnes motus mechanismo absolvuntur, motus mechanici machinæ sunt Recentiorum, quibus moderni Atletæ Veterum medicinæ structuram demoliri volunt; ad omnes actiones concurrunt me-



chanicæ viscerum constructiones, hæ beneficio motus tanquam unici & necessarii instrumenti heterogeneas separant à sanguine partes, superfluas evacuant, utiles subtilisant. Omnes actiones in machina humanâ à mirabli & pure mechanica partium dispositione dependent & ita quidem, ut aliquæ illarum ex regulari quadam necessitate à Deo naturæ injunctâ citra peculiarem cognitionem & liberum arbitrium organicè procedant; hæ actiones utpote materiales & organicæ, naturales & vitales non ab anima tanquam principio incorporeo intelligente per necessitatem quandam naturalem & mechanicam peraguntur, non secus ac in artificioso horologio, in quo mirandis suscipimus effectus: & uti motus & actiones in variis hominum artefactis non liberæ sed necessariæ, non ad proprium, quod illis deest, sed ad artificis arbitrium sua pensâ absolvunt, adeoque omnes harum machinarum motus ad leges mechanicas reducuntur, ita naturales motus & actiones in machina microcosmica necessariæ & automaticæ sunt involuntariæ, & nullo præeunte voluntatis imperio, imo sæpè nesciâ & invitâ animâ per solam partium mechanicam dispositionem peraguntur. Quid enim negotii animæ est? dum in machina humana ventriculus cibos digerit, digestos per pylorum ejicit, ejectos sub duumviratu confluentis succi pancreatici & bilis cysticæ in chylum qualificat, qualificatos massæ sanguinæ immergit, & humoribus immiscet; quid commercii animæ est? dum in machina hydraulico-pneumatica fiunt se- & excretiones, instituantur nutritiones, adornantur motus

tus



tus sanguinis intestinus & progressivus , reciprocatur systole & diastole , sanguinis circulatio absolvitur ; hi similesque motus sunt extra sphæram animæ , in quos nullum jus habet anima , nec in illos agit mediate nec immediate , hi enim motus etiam nesciente imo invitâ & reluctante animâ perficiuntur , nec ullâ cogitandi vi vel juvari vel cohiberi possunt ; velit , nolit anima in agonizante , ut vel pedem commoveat æger , frustra velit deficientibus spiritibus sensûs motûsque instrumentis , & licet anima & toti corpori sit præsentissima , nihil efficiet , corpus non movebitur .

THESIS XI.

Substantia spiritualis seu anima dirigit motus animales, voluntarios, spontaneos a voluntatis arbitrio dependentes, & ut pro libitu intendi possint & remitti , aptos , in quos tamen motus influit non immediate sed mediate per spiritus:

Motus & actiones spontaneæ non ab anima ut effectus à causâ efficiente promanant, sed ad summum anima causa occasionalis & directiva dici potest. Organa sensoria ab objectis sensibilibus attinguntur & premuntur, eo ipso spiritus istis organis inclusus properat versus cerebrum tanquam nervorum principium, ubi ab animâ specierum iudice determinatione ad motum factâ illic spiritus per alios nervos ad musculos motorios fortius impellendos ablegantur. Objicitur oculis delicatum pomum, ideæ hujus pomi seu species transpor-



portantur ad sensorium commune, ubi anima velut regina species ab organis receptas intelligit, examinat, discernit, demum secundum species pomum amabile & gustabile judicat, decernitque per potentiam volitivam hoc pomum esse apprehendendum, concluso hoc decreto quamprimum determinat & imperat in hac machinâ microcosmicâ motum voluntarium, quem spiritibus velut executoribus committit. Sic ad nutum animæ canimus in hortis, agitamus remos in aquis, proficiscimur in equis, pedes artollimus in choreis; manibus applaudimus in tripudiis, exultamus in victoriis. Anima rationalis inorganica, immaterialis nulli alligata materiæ, sed à materiâ totaliter abstracta & libera idque non tantum quoad esse & fieri, sed & operari ad actiones suas nec utitur, nec indiget organis, imo nihil communicat seu commune habet cum actionibus corporeis. Anima inquam tantum imperativè & directivè influit in motus liberos & voluntarios; uti mechanicus horologii impetus & tendentias variis modis sufflaminare, accelerare, & variè immutare potest, ita anima actiones liberas omittere, facere, & procrastinare potis est; immediatus contactus substantiæ immateriali non videtur convenire, demus animæ, quæ sunt animæ, & corpori, quæ sunt corporis. Immediatus contactus exigit, ut extremitates moventis & movendi se invicem tangant, ad eoque extensum esse debet, quod animæ tanquam substantiæ immateriali non convenit. Possunt quidem graviore animi affectus, inordinata gravidarum phantasmata modificare motus sanguinis & humorum,



morum, eos autem immediatè regere nullo modo potest. Motus spontanei à mente reguntur, à spiritibus per organa perficiuntur. Spiritus animales animæ imperio in actionibus animalibus subjecti sunt, subditi & vasalli sunt, qui animæ imperium fideliter actuant, dum ad nutum animæ in nervos & musculos influunt. Spiritus veri promptique animæ vicarii determinationi ejusdem obsecundantes indistincta quævis agenda velocissimè exequuntur. Datur quoque motio mixta seu intermedia inter voluntariam & naturalem ab utraque participans; ad hanc referri debet respiratio, quæ de nocte in somno absque jussu animæ exercetur, de die autem, ubi vigilamus, ad nutum animæ acceleratur, & ad tempus retardatur. Ex his inferes, cogitationes solius animæ esse operationes, motus automaticos seu necessarios solius corporis esse operationes, motus autem voluntarios totius hominis hoc est corporis & animæ esse operationes, hæ enim à cogitationibus mentis & motibus corporis simul dependent.

THESIS XII.

Ad tres hos motus regulares subactorium, transgressorium, & tonicum omnes alii motus referri possunt.

Omne trinum perfectum: memorati tres motus cardinales sunt, in quibus totius vitæ & sanitatis cado vertitur, si hi tres secundum regulas motus benè habeant, machina microcosmica itidem in salvo erit, secus si secus. Motus subactorius, ad quem refertur

D

con-



conquassatorius , optimè celebratur in ventriculo debirè disposito , ubi tam variæ alimentorum particulæ hoc motu peracto adminiculante liquore gastrico crudiorẽ heterogeneitatem exuunt , & cremoriformem substantiam induunt ; motus subactorius continuatur in duodeno confluentibus duobus succis pancreatico & biliolo , ubi pultacea materia multum alterata , a fæcibus sequestrata chyloso candore se involvit , demum satis illa subacta vel diffluit in liquidam lactis nivem , vel purpuræ microcosmicæ se insinuat , dum mari sanguineo immergitur . Motum transpressorium experiuntur omnes , quotquot sunt glandulæ , in quibus velut destinatis à naturâ filtris & certis humorum secerniculis famulante motu se- & excretorio varii utiles liquores ex massa sanguineâ secernuntur , secreti rursus commiscuntur , commixti denuò circulationis leges subeunt , donec motu transpressorio magis & magis hinc inde à scoriis depurentur , in particulas volatiliores subtiliscentur , & denique in spiritus alcoholiscentur : Sic utiles liquores lymphaticus & salivialis , gastricus & intestinalis , lacteus & seminalis , genitalis & pericardialis aliique laudabiles humores hanc censuram transpressoriam experti sunt : Sic humores excrementitii , liquor matulæ microcosmicæ urinæ , aurium ceruminæ , piritæ pectoralis , mucus nasalis , sudor hirquens subaxillaris ut & scybala ventris coadjutore motu peristaltico ex œconomia humana eliminantur . Motus Tonicus fibras fluido spirituosissimo inflatas ad dilatationem & constrictionem variis in partibus aptat , & merito in omnibus actionibus requiritur .

THE-



THESIS XIII.

Omnes, quicunque demum illi sint, in corpore motus, modo regulares sint, machinam microcosmicam conservant in sano & firmo statu, quamprimum vero motus à regularitate deflectunt, machina patitur.

Si in machina horologii automatica unicus rotulæ dentatæ radius ob continuum usum exedatur, vel rubigine labefactetur, horologium turbatur, nec fidei indice amplius horas signabit, regularitate sublata exorbitabit. Ubi in molendino aquatico rota molaris fracta, vel lapis lapidi inæqualiter insistit, motusque turbidus tumultuatur, non fluet ex molâ farina, sed ordine sublato vasta machina conquiescet. In machina humana fere innūmeri numerantur motus, qui tamen ad hos duos motus tanquam ad duo genera suprema regularem nempe & irregularem facile reduci possunt: inter motus facile princeps est motus dilatatorius & constrictorius in corde, conuasfatorius in ventriculo, peristalticus seu vermicularis in intestinis, intestinus & progressivus in sanguine & liquidis, transpressorius in filtris, promotorius in musculis, convulsivus in nervis, famosus motus tonicus in quovis viscere; & quis omnes enarrabit? Sed tot sint, quot quilibet in suo cerebro fabricat, modò regulariter procedant, res in salvo erit: ubi autem motus aucti vel imminuti sunt, verbo irregulares sunt, ibi totæ morborum cohortes



in promptu sunt; ubi nulla regula, ibi nulla disciplina sed mera confusio est, ubi motus regulas à Deo præscriptas transgreditur, nulla salus est. Motus regularis sanguinis & humorum sanitas est, motus irregularis & inordinatus totam machinam microcosmicam commovet in statum præternaturalem & morbosum: unde extraordinariæ exæstuationes, inordinatæ phlogoses, febriles motiones? unde malignæ febres viscera corporis inflammant, caput & phantasmiam turbant? nisi à motu sanguinis excentrico; unde maniaci ferociunt, funes & catenas rumpunt, portas & clathros infringunt? nisi à motu sanguinis orgasticè tumultuario; unde melancholico-hypochondriaci se mortuos timent, & jam naulum solviffe Charonti putant, omne cum vivis commercium ejurant, latibula quærunt? nisi à motu sanguinis torpido & somnolento; unde epileptici procidunt quasi fulmine tacti, ambas intorquent manus, strident dentibus, ore spumant? nisi à motu irregulariter actò. Motus regularis regula Lesbia est, secundum quam totus corporis humani mechanismus conservatur; motus regularis mari microcosmico Alcedonia invehit, ita ut purpureus latex pacatâ planitie per venas decurrat: ubi autem hic latex motu inordinato insolescit in torrentem, vasa arteriosa & venosa distenduntur. Inundatio aquarum molendina infringit, tempestuosè ruens ex æthere Notus alatas molarum machinas fusque deque invertit: motus irregularis in sanguine & humoribus sine ordine, sine lege, sine mensura, sine ullo ad temperaturam habito respectu ita omnia



omnia pessundat , ut erudito & experiētiis medicis probato Neptuno opus sit , qui tridente hoc est remediis ex tribus regnis collatis sciat motos componere fluctus. Ubi autem fluida & solida tanquam duo sidera cœli Castor & Pollux amicâ harmoniâ conspirant , serenitas mari microcosmico affulget , pacatê omnia procedunt ; Sed si tumultuosa huic mari tempestas ingruat ( ut accidere solet in phethoricis ) purpureus torrens impetuôsê actus exitum quærit motu violento , si invertat aquarius urnas , vasa superefluant lymphatica , ut contingere amat in hydropicis , tota machina humana subito quasi cataclysmo obruitur , & omnia viscera naufragium patiuntur.

THESIS XIV.

Cum tota salus machinæ microcosmicæ consistat in regulari motu fluidorum per solida , motus irregularis corrigendus est.

Tam placidis nunquam pelagus crispatur ab auris , cui nequeat Boreæ bella ciere furor , nullum mare tam pacatum est , quin subinde caperetur in rugas , insurgat in furorem , exæstuet in procellas , tunc archithalassi consilium bonum rarum est , illicô fatigati vertuntur remi , demittuntur vela tumidis prægnantia ventis , ponderosæ ejiciuntur anchoræ , duplicati laxantur funes , Jupiter imploratur , ut ventis imperet & mari. Nulla machina corporis humani semper tam quieta est , quin suos quandoquê patiat motus irregulares , mareque microcosmicum turbetur ; mo-



do illabuntur subitæ irarum procellæ, & intumescit in furores, modo decumanis agitur temulentix fluctibus, & accenditur febris, æstuant membra, exuruntur viscera, inspissantur liquida; modo variis exacerbatur affectuum undis, & mare microcosmicum consternitur metu, obrigescit horrore, congelatur timore, vel ambiguis hinc indè fluctuat curis; Et quis omnes irregulares sanguinis motus abundè explicabit? hic Jove statore opus est, hic ratio recta valet, quæ motus insolentes præcipitet, & motus languidos exsuscitet, mediâque faciat decurrere viâ sanguinem & humores. Sciunt nautæ in turbida maris tempestate vertere vela, ne pleno irruat impete ventus, sciunt decumanos frangere fluctus, ne conquassetur semifracta carina, sciunt rapidos declinare torrentes, periculosas evitare voragine, ne naufraga absorbeatur aquis: Norunt in arte periti mechanici reparare trochleas, instaurare dentatas in horologiis rotulas, in machinis elasticas elevare pinnulas; & Medicus sciet extra ordinem motos in mari microcosmico componere fluctus, sciet utique præcipitantibus intestinam fluidorum seditionem sedare, fluctuantes impetus frenare, verbo motum irregularem hamare, ad temperiem & æqualitatem reducere. Econtra ubi torpidior motus erit, ubi spiritus repent somnolentiores, sciet Medicus spiritibus addere stimulos & calcaria, ut testudineus fluidorum motus utpote multorum morborum causa in nonnihil citatorem activitatem stimuletur; pars partem tradat, non arietet, in medio consistit virtus, in regulari fluidorum motu consistit sanitas: Motus humorum lentè festinet,

Len-



Lentulus tamen non fit, nec Atalanta volans; canis festinans cæcos parit catulos, benè properat, qui lentè festinat. Quomodo motûs irregularitas in quovis morbo corrigenda, videbimus, quando ad singulos morbos in particulari descendemus, ibi mechanismus demonstrabit praxin huic Theoriæ motus ad amussim responsuram.

THESIS XV.

Si motus irregularis fiat respectu principii moventis vel materiæ movendæ vel ex parte organi tanquam medii, indicatur Medico utpote perito motistæ, ut motum reddat regularem, & in prioribus cancellis comescat humores.

Quandoque motus irregularis causam agnoscit spirituum ferociam & in humoribus orgasmum, ibi sublatâ per venæ sectionem sanguinis turgescentis copiâ, præcipitantia, refrigerantia, spiritibus frenum injicientia, & corporis æstum infringentia, præsertim nitrosa, ut & emulsiones refrigerantes, julapia acidula sunt ordinanda. Sæpe etiam motus exacerbatur ab animi pathematibus, ab ira, quæ brevis furor est, ibi ut motus iterum mansuefiat, homini rationali iræ noxas exponere expedit, & si quæ bilis hoc motu excentrico in sanguinem effusa est, illa per chologoga educenda, sic in priorem mentis malaciam regredietur homo. Subinde somnolentia & torpor spirituum



um motus humorum figit, & liquores segnes & pigros efficit, ut in lethargo, comate, caro, aliisque soporosis affectibus, imo in ipsis animi deliquiis & graviori syncope indies experimur: hic utique volatilia & spirituosâ in subsidium vocanda, v. g. *℞. Cc. ❖ci ℞s Sylv. Ⓟ. vol. Cc. succini item castorina &c.* quæ pigros spiritus lentosque humores exfuscitent. Si vero materia movenda labem contraxerit, ut placido & tranquillo debiti motûs successui turbulenta perturbatio incussa fuerit, atque hujus particulæ heterogenæ ansam dederint occasionalem motûs collisionii & tumultuarii in massa sanguinea, illæ temperatioribus sudoriferis, alcalinis per poros cutaneos emittendæ, ut sublata particularum seditione pax redeat & motus regularis humoribus. Quandoque phlegmata & pituitæ aliæquæ cruditates in ipsis organis tanquam medio per quod motui obstant, & viæ libertas sufflamantur, vel venæ & arteriæ viscosâ materiâ oblinuntur, vel polyo obstruuntur, vel alia vasa & viscera glutinè viscoso infarciuntur, ut patet in congestionibus pectoralibus, stasibus & obstructionibus menstruis, ubi materia mobilis fixa fit, & varios hinc inde dolores excitat gravativos; tunc hæc motûs regularis impedita per resolventia & discutientia, per discutientia & aperientia, per maturantia & purgantia è medio tollenda, & corpore proscribenda. Si ab acido humores coagulati, ab austero pontico coarctati se motui opponant, absorbentia alcalina & resolventia in usum trahenda, & sic de aliis. Si vero ex tono partium labefactato oriatur motûs irregularitas, hic ner-



nervinis & præsertim cinnabarinis confortandus est, ut suo officio constrictorio & relaxatorio commodè fungi possit.

THESIS. XVI.

Motus sæpe fit irregularis ex termino ad quem inordinato per motus naturæ erroneos, ubi à Medico naturæ ministro errores commissi corrigendi, & motus per ordinarias vias ad finem seu terminum ad quem reducendi.

Magnus error naturæ est, si fluida tanquam materiam movendam non per vias regias & ad locum huic materiæ educendæ destinatum deducat, à fine aberrat & scopo: sic absurdus error est, si tributum lunare singulis quidem lunis reddatur, sed hæc catamenia per vias incongruas & præternaturales ex ore cruento ejiciantur, vel oculorum canthis protrudantur, vel ex naribus elabantur, uti in praxi clinica docet experientia; ad quem errorem committendum sæpe natura trahitur vel à terrore subito menstruatam obstruente, vel à variis stypticis alcalinis aliisque turpibus à puella ad aucupandam vultûs aulici formam devoratis, vel a balneo nimis frigido menstruum retropellitur in aliis terminis naturæ insuetis erupturum. Magnus error est, si phlethorâ decen- te viâ & suo tempore non depletâ sanguis quâ datâ portâ erumpat naribus, exspuatur faucibus, vel vomitu eructetur. Ingens error est, si hæmorrhoides motu critico per conamina salutaria non promotæ aliorum abeant, & in massam sanguineam retroactæ varias

E

an-



anxietates , pectoris oppressiones , & contractiones spasticas variis partibus inducant: Hic Medicus mor-  
tor sit, ut à via erronea per motum revulsorium a-  
moveat , quiddid prænaturaliter motum est , hic  
chirurgia imploranda est , hic vena secanda est , &  
quidem in partibus inferioribus , ut sanguis viam ne-  
glectam relegat , finemque consuetum seu terminum  
ad quem attingat. Lamentabilis error est & com-  
miseratione dignus, si in passione iliaca seu sic dicto  
miserere feces excrementitiæ à via regia alvi rece-  
dant , & viâ inordinatâ per fauces discedant ; Sic fla-  
tibus tumultuariis intestinorum hospitibus consueta  
porta clauditur , si in corpore hinc inde incuneentur,  
& ortis hinc borborygmis torqueant viscera. Sic de  
aliis naturæ erroribus ulterius discurrendum esset, ni-  
si ad finem properarent theses. Aliquando etiam mo-  
tus naturæ salutare ex parte Medici turbantur , ut  
erronei fiant , si non, quo natura duci cupit, ducat, vel  
motus à natura institutos invertat, & morbos corrup-  
pat.

#### ANACEPHALEOSIS.

Cum corpus humanum mira & concatenata par-  
tium solidarum seu organorum series & machina sit,  
si ab inanimata statuâ velit secerni , debet posse mo-  
veri , & quidem motu mechanico ; hunc in finem tot  
fibræ & tendines, tot canales & tubuli, tot nervi & mu-  
sculi sunt in hac fabricâ microcosmicâ , quæ aptissima  
motûs instrumenta vere dici possunt ; cum ministerio  
fibrarum motricium seu musculorum ab influxu liqui-  
di in arterias & nervos motus actuetur. Causa pri-  
ma



ma & univerſa omnis motus DEUS est, qui omnibus  
 causæ secundæ actionibus unâ operam jungit, ast pro-  
 bè dispiciat causa secunda, ad quem concursus cau-  
 sam primam sollicitet, non incitet invitam, nec ad  
 scelestam infontem cogat, ad justè agendorum confor-  
 tium volens trahitur causa prima. Causa secunda  
 motus est connata quædam vis motrix vel à DEO cor-  
 pori implantata, vel cum semine prolifico communi-  
 cata, hoc principium motus inchoativum sic dispo-  
 nente DEO continuatur per succum nervorum elasti-  
 cum. Spiritus in cerebro seu in arce ad majorem spi-  
 rituascensum intimius admissi, in corticalibus cere-  
 bri filtris secreti, magisque elaborati, & per nervos  
 eorumque propagine velut per naturales canalicu-  
 los distributi ad tendines extremas partes fibrarum  
 graciliores & rigidiores, demum ad ipsas etiam fibras  
 omnesque musculos, in quos fibræ collectim concur-  
 runt, derivati vitales motus ritè perficiunt. Magna  
 inest his spiritibus activitas, quam à particulis salinis  
 volatilibus & sulphureis sortiti sunt; illa enim cor-  
 pora magis subtilia, & ideo magis activa sunt, quæ ex  
 ejusmodi particulis conflata sunt, tales vero particu-  
 las spiritibus hisce inesse demonstrat chymia, quæ has  
 ex sanguine particulas per retortas feliciter extorquet.  
 Actiones variæ sunt in machina microcosmica; Ani-  
 males ab anima rationali dependent, in has jus quod-  
 dam anima habet, sed tantum directivum, non im-  
 mediatè in has actiones influens, concurrat anima à lon-  
 ge, nil efficit immediatè; proinde præter animam ut  
 principium immateriale directivum, aliud principi-





um activum materiale necessarium est, & quidem sum-  
 mâ subtilitate & mobilitate, volatilitate & penetrabi-  
 litate præditum, quo tanquam medio seu instru-  
 mento anima rationalis ad actiones materiales utatur.  
 Actiones vitales, eo quod vitam conservent, sunt pul-  
 sus cordis & arteriarum, humorum secretiones, chy-  
 lificatio & sanguificatio, hæc aliæque plures actiones  
 solo mechanismo sine ullo animæ imperio, invirâ et-  
 iam animâ, & nullo erga eam habito respectu ex ne-  
 cessitate quadam mechanicâ per solos actores spiritus  
 absolvuntur; in ipso somno ne dum cogitante multò  
 minus cooperante animâ cibi sponte suâ per motum  
 conquassatorium in ventriculo eliquantur, sanguis  
 corporis partes circulariter perluit: habet anima cor-  
 pus, quod informet, membra, quæ per spiritus re-  
 gat, potentias, quibus imperet, sensus, per quos vel  
 res ipsas vel rerum imagines percipiat; sed irritum  
 animæ imperium est in motum cordis, ubi animæ po-  
 tentia tam angustis est inclusa cancellis, ut ne unicum  
 arteriarum pulsus sistere, vel solito longiorem peri-  
 systolen inducere, vel levissimum etiam pilum possit  
 erigere. Motus naturales cum non sint in nostra po-  
 testate, animæ minus parent. In paralytico membra  
 rigent, motum imperet anima, nunquam membra  
 movebuntur, ligetur nervus ad quemcunque muscu-  
 lam excurrent, illic cessabit motus & actio, obstru-  
 atur vel comprimatur nervus opticus, gutta serena  
 obscurabit visum, coryzantes obtusè olfaciunt ob fa-  
 ctam à nimia serositate compressionem nervorum na-  
 rium tunicæ: sed referentur viæ & canales spiritibus,  
 illico

illico



illico membra movebuntur, actiones neglectæ reparabuntur, vita conservabitur, adeoque hic latex spirituosus quasi vinculum corporis & animæ est. Motus plane liberi & absolute formaliterve voluntarii ( ut est ambulatio, locutio, manusflexio ) à nutu animæ fieri vel non fieri possunt, sed pro executione spiritibus opus habent. Motus non plane & ex toto liberi, sed corporis affectibus inservientes ( ut mictio, sputatio, exclusio foetus ) non à solo animæ nutu sed naturæ quoque tempus & mensuram agendi definitis ope & instinctu peraguntur. In mixtos motus qui nobis non cogitantibus exercentur, & etiam volentibus retardantur, jus quoddam animæ concedimus, sed limitatum, & ad spiritus restrictum. Denique motus quicumque demum ille fit, regularis fit; hinc inordinatus & præternaturalis sistendus, cessans & languens erigendus, & pro re nata excitandus; sed motus naturæ ad vias ordinarias erroneus reduendus est, ut sanitas conservetur, quæ omnium motuum ultimus

FINIS.



COROLLARIA.

Ad majorem disputandi campum apposita sunt sequentia:

I.

**N**on datur urina potus, sed omnis urina in statu S. N. per vias ordinarias transcolatur.

E 3

II. Bilis





- II. Bilis non est excrementitius humor, sed laudabilis, & suo sensu balsamum naturæ merito audit.
- III. In inspectionibus cadaverum ex vulnere mortuorum sectio & inspectio totius necessaria est, ut forensis Medicus renunciet de lethalitate, licet occisus vulnere accepto statim conciderit.
- IV. Infallibile signum imprægnationis ex uroscopia haberi nequit.
- V. Sudor nocturnus non semper hecticus, cum etiam communis sit hypochondriacis & scorbuticis; hi enim sunt vel sputatores, vel sudatores, vel urinatores.
- VI. Facies subinde est morborum index.
- VII. Galenica medicamenta tutiora sunt chymicis, etsi tardius operentur.
- VIII. Non necesse est semper recurrere ad exotica, cum etiam patria nostra gaudeat iis, quæ ejusdem sunt activitatis.
- IX. Febres non sunt morbus, sed fiunt malâ tractatione.
- X. In febribus malignis non conducunt purgantia:
- XI. Morbi curantur morbis per metastasin.
- XII. Nostalgia oder das Heimweh / Helvetorum non est fabula, sed realis morbus.
- XIII. Nemo moritur absque convulsione.
- XIV. Opiata in desperatis morbis, ut moribundi absque dolore indormiscant & moriantur, minimè sunt præscribenda.
- XV. Mercurius dulcis non ritè præparatus mercurius mortis est.
- XVI. Vera lithonriptica, quæ calculum in renibus jam concretum comminuere possunt, non dantur.
- XVII. Lu-



- XVII. Lues venerea curata licet, ruderata tamen relinquit & dispositionem proximam ad reinfectionem; nam quo semel est imbuta recens, servabit odorem, testata diu.
- XVIII. Infantibus recens natis Syr. d. cich. c. rhab. & pulv. marchion. benè propinatur ad præservationem à multis morbis.
- XIX. Junior Medicus scientiâ fundatus, & ex libris lectis experienciâ informatus æquè feliciter curat, ac senior Practicus.
- XX. Curæ magneticæ, sympatheticæ, & transplantatoriæ admitti possunt absque læsione conscientiæ.
- XXI. In febribus malignis & pestilentialibus opiata profunt.
- XXII. Motus fluidi per canalem rectum facilior est, quam per curvum.
- XXIII. Fibrarum actio consistit in eo, quod à fluido transfluente extensæ propter suam elasticitatem se contrahant versus axin suæ cavitatis.
- XXIV. Lac & semen à sanguine generantur, non à chylo.
- XXV. Male dicitur ex Manardo: plantas inspiciendas solum non planetas, & Galenum in curandis morbis non calendarium.




Fistula dulce canit, volucrem dum decipit *Au-*  
*ceps,*

Aligeroquè gregi vincula tecta parat.  
Sed novit, per aves multos periisse scholares,  
Hinc alias *Auceps* cœpit amicus aves.  
Illud maturoolvebat pectore dictum:  
Non tibi per ventos assa columba venit.  
Idcirco studuit, legit, sudavit, & alsit  
Impiger in medicis nocte dieque libris.  
Nobilis hic *Auceps* summos deportat honores,  
Dum doctoralem præbet Hygea gradum.  
*Aucupis aucupium* felix studiumquè beatum,  
Quo *faustis Avibus* summus habetur honor.  
Fit similis fratri, qui clarus in arte Machaon  
Morbida per medicam corpora sanat opem.  
Sis felix *Auceps*, ut sit par nobile fratrum  
Atque pares medicâ Pœonis arte *Viri.*

*Hicce Prenobili, Clarissimo, & ob speciales  
animi dotes, & studium indefessum di-  
gnissimo Medicinæ Doctorando, suo hucus-  
que in Collegiis privatis Auditori diligen-  
tissimo, commensali amantissimo ex ani-  
mo patriotico gratulari, & prospera quæ-  
quæ secutura apprecari voluit*

PRÆSES.





OO A 6318

ULB Halle 3  
002 933 500



SB

VD  
18

Reho ✓ V D 17









Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

Inches

A. M. D. G.  
 GURALIS PHYSICO MEDICA,  
 DE  
**CHINA**  
**COSMICA**  
 PER  
**IANIMATA,**  
 QVAM  
 IUM MOTUUM AUTHORE  
 RERUM OMNIUM MOTORE,  
 THORITATE FACULTATIS  
 MEDICÆ,  
 NIVERSITATE ERFURTENSI,  
 Æ S I D E  
**NE FRIDERICO**  
 E PRE,  
 CINE DOCTORE, ANATOMIÆ, BOTANICÆ  
 ESSORE PUBLICO, FACULTATIS MEDICÆ  
 RDINARIO & p. t. DECANO,  
**LICENTIA**  
 EDICA HONORES ET GRADUM  
 LENNI RITU CONSEQUENDI,  
 UDITORUM EXAMINI  
 UMMITTIT  
**GELMAN, MOGONUS,**  
 HILOSOPHIÆ MAGISTER,  
 Æ BACCALAUREUS,  
 PERIORI COLLEGII MAJORIS  
 RIS CONSUETIS.  
 vembr. A M DCC XIX.  
 NIS HENRICI GROSCHII, Academiæ Typographi.